



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt IV. Coetus habitus ad Synodum absoluendam, & susceptum consilium non omittendi dogmatis de Purgatorio, & Cultu Sanctorum, ac de Imaginibus. Conuentus à Lunensi coactus Praesulum Hispaniae Regi ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11718**

esse, Lotharingo abeunte iniunctum esse Gallis Oratoribus vt redirent, quorum præsentia longè maioris erat momenti, quàm Cardinalis, qui regia mandata non habebat; quin ab eodem Cardinali operam suam antea oblatam fuisse, quò Regis Catholici responsum expectaretur. Quæ omnia nullo nixa fundamento Legati postea reperere: sed voluntas, animi affectionibus commota, in causa est, vt homo interdum narret quidem falsum absque fundamento, non tamen mentiatur. Absolutum est colloquium vtrisque in sua sententia persistentibus. Neque consenserunt Legati, vt Oratore ad Pontificem scribente, responsum opperirentur; cum ipsis haud par esse videretur, illum palàm conijci inter eas tricas, neque se ipsos præpediri, ne exequerentur, vbi possent, iussione quam ab eo acceperant, accelerandæ Sessionis ante diem nonum, adeoque eo tempore, quo nouum illius mandatum haud peruenisset: sed cum animaduernerent pariter, eam celeritatem sibi minimè processuram, cursorem tabellarium Romam miserunt, quò Pontifici, id quod acciderat edocto, liceret pro suo arbitratu iussa variare. Interim & Lotharingus & Cæsariani animum præ se gerebant auersum à Lunensis obstaculo, & tum hi tum Lusitanus polliciti sunt suarum apud Hispanum cohortationum opem. Ita procedebatur incerto gradu inter vires contrarias acuti calcaris & duri fræni. Tota inuitabilis difficultas tum in Natura tum in Politica ex eo nascitur, quòd inter duas oppositas validasque potentias agendum est; adeoque dum alteri obsecundamus, necesse sit vt alteri repugnemus.

## CAPVT IV.

*Cætus habitus ad Synodum absoluendam, & susceptum consilium non omittendi dogmatis de Purgatorio, & Cultu Sanctorum, ac de Imaginibus. Conuentus à Lunensi coactus Præsulum Hispaniæ Regi subiectorum, vt Synodi conclusioni obfisteretur. Quæ Lotharingus cum Rege Gallie egerit de Concilio, & illius responsa. Nuntij de periculoso Pontificis morbo ad Lunensem, & postea ad Legatos delati, & studia ab illis impensa ad opus finiendum. Generalis Congregatio secundo Decembris.*

**L**egati in proposito persistentes, cæterum rursus<sup>a</sup> coegerunt, conflatum duobus Cardinalibus, & quàm plurimis ac præcipuis Patribus; & expositâ denuò absoluendæ Synodi necessitate, ab illis consilium & opem petiere. Lotharingus dixit, se ac-

Pars III.

K k k k

cerfiri

<sup>a</sup> Litteræ Legat. ad Borrom. 29. Nouembris, & Acta Paleotti & Salmanticensis,

1563. certiri à Rege, qui proximis Christi nascentis ferijs adesset in Lotharingia, memoratum puerum è sacro fonte suscepturus, & ad eam functionem Lotharingum vocabat, quò cum eo postea de grauissimis regni negotijs ageret, atque vt secum cunctos nationis Episcopos reduceret, eidem imperabat. Si proinde cuperent ipsis presentibus Synodum conficere, necesse esse, vt proxima Sessio etiam esset postrema, & ultra diem constitutum neuiquam protraheretur. Esse tamen aliquid de commemoratis dogmatibus statuendum: cum enim hinc exorta fuisset hæresum origo; vbi nulla haberetur decisio, licuisset hæreticis triumphum canere, iactantibus, post tot annos à Synodo nihil compertum vbi ea dogmata fundaret, ideoque prætermissa fuisse. Rem autem breuiter posse perfici, per formam de qua iam inter ipsos conuenerat. Granatenfis, alijque Hispani consenserunt, vt Sessio celebraretur statuto die, sed ita, vt referuarentur ad alteram propinquam argumenta nondum digesta. Cæsariani monuerunt, tamquam summè necessariam, tractationem Indulgentiarum, contra quas Lutherus primò classicum cecinit in bello quod in Ecclesiam intulit. Lunensis reluctari non cessabat, vulgabatque, Gallicos Oratores regressuros, vt obfisterent conclusioni. Sed Lotharingus pro certo affirmabat, eos minimè reuersuros.

b Cuncta exstant in memorato libro Gallico.

Id autem Lotharingo haud dubiè compertum erat. Etenim cum is Mannensem Abbatem in Galliam Romà misisset<sup>b</sup> cum suis ad Regem litteris, & curasset vt Tridento illuc pergeret Episcopus Aurelianensis, ostensus Regi, contestationem ab Oratoribus interpositam superuacaneam fuisse, eumque ad illos remittendos induceret, Rex nono Nouembris ad ipsum & ad suos Oratores responderat in hanc sententiam: Articulos iam propositos à Legatis tam noxios vniuersè Principibus esse, ac tam disertè sui regni iura ab illis vulnerari, vt qui suo intererant Consilio, existimauerint necessariam interpellationem, nisi illi reuocarentur. Se quidem cupiisse, vt Oratores ante rem gestam Lotharingi sententiam ac directionem acciperent; sed stimulante necessitate fuisse coactos, cum animaduertent, duas tertias Patrum partes petere vt illi articuli reponerentur, adeoque cum interluceret, arcanum aliquod conuenisse inter illos ac Præsides; vnde prænoscebatur, eosdem articulos confestim redituros in theatrum, sublatà Lotharingi præsentia. Quod si Pontificis esset mens, sicuti Mannensis testabatur, ne iura & priuilegia Principum tangerentur, Pontifici non de Regis Oratoribus querendum esse, sed de Legatis suis; qui cum aliter quam ipse

iple vellet egissent, ad eam commotionem Oratores coëgerant. Maximopere se latari ad Reipublicæ Christianæ bonum, ob Pontificis animum à Lotharingo deprehensum, emendationis exacte cupidum, & illius effecta præstolari. De Oratorum reditu à se missum iri mandata, vbi certò sciret, prædictos articulos in perpetuum prætermitti: eos interim Venetijs commorari, prout illis iniunctum fuerat, vt habitâ interpellatione illuc se conferrent, alio responso ex Patrum prudentia non expectato, sed vt in Synodo remanerent Episcopi, à quibus defensum iri sua iura certus erat. Ita Rex ad Lotharingum respondit. Oratoribus imposuit, vt in danda opera, quâ contestatio referretur in Acta, aut in alio præsentando, obseruarent quo pacto Synodus procederet, & noua Regis mandata præstolarentur. Ex hoc Regis responso cognouit Lotharingus, Oratores proculdubiò non regressuros tam breui temporis interuallo, quod vsque ad destinatum Synodi exitum supererat.

1563.

3 Sed vt à Gallis Oratoribus ad Hispanum regrediamur; hic præter adhibita ab eo Tridenti studia ad Synodum retardandam, celerrimum cursorem Romam miserat ad Vargam, vt illi poneret ob oculos tamquam grauem Regis iniuriam Synodi terminationem absque diserto illius consensu, adeoque vt ipsum stimulare ad premendum ex aduerso præualidis petitionibus Pontificem. Suavis, qui studet non quæ scit enarrare, sed quæ credit diuinare, confidenter affirmat, noluisse Vargam iterare petitionem prorogationis tum ob Pontificis morbum, tum ob responsum ab illo acceptum paucis antè diebus, à se nimirum libertati Concilij rem committi. Sed oppositum affirmat epistola Borromæi ad Legatos, signata quarto Decembris, Vargam scilicet ad Pontificis ædes aduolasse; cumque ab hora nimis læra illi aditus ad Pontificem præclusus esset, cum ipso Borromæo fuisse locutum, horrendis malis denunciatis, nisi ante finem Regis responsum expectaretur; sed à Borromæo fuisse recantatas easdem causas, quas sæpè narrauimus, compellentes ad Synodum concludendam, re tamen remissa nouo iudicio Pontificis, ad quam Oratoris postulata à se deferenda erant. Et pro eo ac ratio comitate condita vim obtinet inexpugnabilem in animis prudentum, visus est Vargas mitior abire quam venerat. Id quo eius impetus validius retundebatur, Borromæus scribebat esse, quia nec ab ipso nec à Lunensi produci poterat vllum Regis mandatum quod opponeretur; adeoque quoscumque obices ab illis opponi animo vacillanti ac dubio, ne postea ijdem

K k k k 2

reijoe-

1563.

reijcerentur à Rege. Missum tamen fuisse à Varga postredie qui responsum Pontificis cognosceret, quod erat huiusmodi: Non posse Pontificem allatis rationibus remoueri ab ardenti desiderio, quo peroptabat celere Synodi terminationem, nisi oppositum videretur maiori Patrum numero, quorum libertati neque in eo neque in alio quopiam officere statuerat. Addidit Borromæus Legatis, quod spectabat ad Regis Hispaniæ consensum, censere Pontificem, satis illum à se obtineri, quando Rex ipse se remiserat Cæsari, cuius Oratores non modò finem petebant, sed vnà cum Gallis alijsque denuntiabant se discessuros, vbi Synodus protraheretur. Hinc videri idem esse eam protrahi ac dissolui: à quo abhorrebat aded Pontifex, vt legentes animaduernerint, cum ille comprobant in Legatis quidquid ab ipsis responsum fuerat Lunensi de ceteris rebus, solùm improbasse quòd prænuñtiasent, Si Comes obfirmatus obstiteret, se discessuros: debuisse potiùs virilem ipsorum repugnantiam eos contestari. Atque vt ad id illos animaret, ipse Pontifex <sup>e</sup> epistolam scripsit, in qua suam hanc certam voluntatem ostendebat, ne Synodus vltra præstitutum diem nonum protraheretur, quocumque obice superato; & rationes ad id ipsum adducebat. Ex hisce rebus gestis intelligatur, quàm benè fuerit edoctus Suauis, dum narrat, Vargam recusasse dilationis postulata repetere. Verum quidem est, secundùm vetus effatum, Romæ consuli post captam Saguntum, quemadmodum palàm fiet.

¶ 4. Decemb.  
1563.

¶ Acta Pa-  
leotti, & Sal-  
manticensis.

Sed Lunensi impensa à se opera satis non fuit. Die ante postremum Nouembris domi suæ Præsules Hispanos cœgit <sup>d</sup>. & quamuis arctissimum illis silentium imponeret de ijs quæ ibi agerentur, rescitum est, de prolatione actum fuisse. Consilium illic susceptum, ex effectu patuit: nam die postero apud se pariter conuocauit vesperi reliquos omnes Episcopos vrbium, quibus Philippus Rex imperabat, conuocatusque est suos in illis sensus imprimere de Ecclesiæ & Coronæ Catholicæ in eo negotio dignitate. Verumtamen qui vocati fuerant, duobus ac tribus exceptis, assensu non sunt; sed ob oculos illi posuerunt necessitatem absoluendæ Synodi, antequam Galli discederent, tum etiam varia infortunia quæ potuissent accidere, hoc est, obitus siue Cæsaris siue Pontificis, siue aliud quippiam, quod tot annorum opus irritum redderet. Ad hæc postrema respondit Orator, De huiusmodi remotis periculis habendam non esse maiorem rationem in deliberationibus, quàm de morte, singulis momentis homini impendente, haberetur.

Dimissus est conuentus secundâ noctis horâ; & ecce horâ quartâ, si non

si non diuino miraculo, casu certè admirabili, superuenit ad Lunensem tabellarius Româ missus à Varga, illi nuntiaturus improuifum Pontificis morbum, quo penè vitæ spes præcidebatur. Dein peruenere ea de re nuntij<sup>e</sup>, ad Legatos à Borromæo<sup>f</sup> dati, cum mandatis ægroti Pontificis, vt ad conclusionem omnino procederent, ne fortè ipsius mors quali pro hereditate schisma relinqueret Ecclesiæ, excitatâ lite inter Collegium & Concilium de potestate eligendi noui Pontificis.

6 Confestim acciuerunt Legati duos Purpuratos cum Oratoribus Cæsaris ac Philippi Regis<sup>g</sup>, eosque cohortati sunt ad promouendum exitum Synodi, quò Rempublicam Christianam innumera- bilium cladum periculo subducerent. Cæsariani, tamen si prius aded festini, petierunt post improuifum nuntium diem illum inte- grum ad deliberandum. Die postero iterum conuocati, manè ad cœterum omnium Oratorum, & quinquaginta fermè Præsulum ex præcipuis, responsum reddiderunt, se consentire. Idem inter cete- ros conuenit, excepto Lunensi, qui cum suis Hispanis, ac tribus Ita- lis firmiter repugnauit: sed quò simul omne semen schismatis tol- leretur<sup>h</sup>, veterem epistolam regiam Patribus suo Principi subie- ctis ostendit, in qua declarabatur, id si accideret, Regis mentem esse, vt Pontifex more consueto à Cardinalibus eligeretur. Ad hoc Granatensis, inter Hispanos primus, respondit, Numquam aliam in animo suo cogitationem ortam fuisse; & concorditer omnes Hispani reliqui locuti sunt. Cùm autem ibi adesset Marcus An- tonius Columna Archiepiscopus Tarentinas, dixit, Præconem se futurum apud Præsides, Romæ, & per vniuersum terrarum orbem, huiusce piæ voluntatis tum Lunensis, tum Hispanicæ nationis. In eandem declarationem conuenerunt Cæsaris Oratores erga Præsules Ferdinando subiectos; sibi tamen reseruatâ facultate illius mutandæ, si contrarium à Cæsare mandatum acciperent: quod non solum non accidit, sed comprobauit Cæsar quidquid ab illis actum fuerat tum in hoc negotio, tum in exitu maturando, ad quem ille pro certo posuit (nec falsò) iam deuentum iri, quo tempore suum ipsis responsum redderetur; quamquam ex aduerso in supe- rioribus litteris, nondum de Pontificis periculo certior factus, illos arguerit quòd nimium festinarent, cùm ipse mallet in Synodo prolationem ad mensem aut sesquimenssem, vbi hoc pacto obtine- retur ne quid missum fieret, & cuncta maturitatem caperent. Quod vnâ cum alijs, quæ significauit Ferdinandus, indicio mihi est, Del- finum nimis progressum fuisse, dum Legatis describit in eo præci- puè

<sup>e</sup> Acta scri- bunt, nuntios maximè de- sperantes peruenisse ad Legatos; sed ex litterarum voluminibus Aulæ Romæ oppositū apparet.

<sup>f</sup> Hæc epist. scripta fuit 27. Nouemb. nec extat in volumine li- terarū, sed sic de ea mentio in sequenti, scripta 29. Nouemb. & in peculiari, scripta pari- ter 29. No- uemb. à Gal- lio, à secretis Pontifici, ad Moronum.

<sup>g</sup> Duæ litteræ Legatorū ad Borromæum 1. Decemb. tamen si secū- da verè fuerit scripta 2. De- cemb.

<sup>h</sup> Scripturæ iam allatæ, & Acta Sal- manticensis.

1563. pue animum adeo cupidum ut Synodus absolueretur in Sessione præstituta, ut diximus, vndecimo Nouembris, ipsis denuntiatis, nisi Cæsar id obtineret, periculum esse, ne consensum conclusionis reuocaret. Quæ denuntiatio, simul cum prænuntiato discessu Lotharingi, qui iam supellectilem, & familiæ partem præmiserat, stimulus fuit Pontifici ac Legatis, ut cursum caperent, sicuti ostensum est. Sed mos est hominum, dum se alicuius consilij auctores præbent, imprudenter cum eo coniungere animi affectionem; quæ sine mendacio supra verum, & etiam supra verisimile prædicat bona euentura si illud suscipiatur, & mala si repudietur. Nisi lubeat dicere, eiusmodi celeritatis studium non in Cæsare, sed in Cæsaris filio extitisse, ob rationes politicas, quas exposuimus.

Interim Legati, tametsi gauisi pacificâ voluntate, quam in Oratoribus & in Patribus nacti sunt de futura Pontificis electione, tamen intelligentes, cuiusmodi sit in hisce fretis æstus reciprocatio, sedulo dabant operam ut se reciperent in portum. Conspicabatur Lunensis illius causæ probitatem, easque conditionum angustias, ob quas Regis dignitas illæsa persisteret, Synodo etiam ante acceptum illius consensum absolutâ: quocirca penè amplius non audebat nisi per tepentem quamdam repugnantiam obistere, quanta satis esset ut ipse dici posset obistere.

i Litteræ Legar. & Acta memorata.

ii In Actis Arcis Æliæ, in volumine signato litterâ A, quod spectat ad tempus Concilij Bononiæ translati.

iii Acta Arcis Æliæ & Paleotti 2. Decemb. 1563. & litteræ Tridentinis eodem die.

Cuncta diei noctisque momenta tum à Præsidibus<sup>i</sup> tum à Patri-<sup>8</sup> bus selectis infumebantur ad formanda Decreta, quò temporis angustias, rerumque vastitatem infatigabili diligentia superarent. Nec parum contulit, ad sancienda dogmata quæ supererant, adhibitum aliquot annos studium<sup>k</sup> Bononiæ, dum illic extabat Synodus translata. Tunc enim habitæ sunt assiduæ & accuratissimæ disputationes de cunctis articulis nondum definitis: & summæ animaduersionum ac sententiarum de ijs singulis in Acta relatæ sunt. Quamobrem id, quod ex norma huiusmodi virorum & apparatus tam solertis conficiebatur, reuera nec indiligens dici poterat, nec improuisum; quemadmodum his nominibus non appellatur magnarum litium decisio, quæ in grauissimis tribunalibus habetur vnus diei studio, sed innixio commentarijs, ab egregijs iurisperitis plurium mensium spatio elaboratis.

Eapropter Legati ad generalem cœtum postridie<sup>l</sup> coactum detulerunt quidquid spectabat tum ad dogmata Purgatorij, Imaginum, Reliquiarum, Inuocationis Sanctorum, tum etiam ad leges Disciplinæ. De Indulgentijs paratum non habebatur Decretum, adeoque in peculiari cœtu pridie congregato statutum fuerat ut illud

illud omitteretur, tamen compluribus id ægrè ferentibus, ac præfertim Cæsariensis; qui tamen eo carere malebant, nisi posset aliter euitari Gallorum discessus ante Concilij exitum, quod longè deterius existimabant. Moronus breui sed efficaci sermone studuit illius festinationis necessitatem in animis imprimere: eos rogauit, vt non nisi Deum præ oculis haberent, vt meminissent, Synodum esse liberam. & adiecit: *Vtinam qui nos conturbant (vt ait sanctus Paulus) non quidem exciderentur, sed conuerterentur.*

10 Decreta de dogmatibus excepta fuerunt; etiam si Decretum de Purgatorio videretur quibusdam tenue, ac parum dignum Concilio. Sed respondebatur, In cunctis ingentibus fabricis aliquid minus perfectum reperiri, & quò vitarentur grauiora mala, ex mora impendentia, quamcumque prætermissionem alicuius lentæ solertiae laudabilem, nedum excusabilem reddi.

11 In Disciplina sanctionibus mirum fuit, eam quæ spectabat ad immunitatem Capitulum, argumentum antea tantæ contentio- nis, summâ concordia fuisse receptam. Lotharingus petijt, atque obtinuit, vt concederetur Episcopis facultas procedendi in Canonicos concubinarios, etiam si eorum Collegia essent immunita ex foundationis titulo. De Regularium emendatione petijt, impetrauitque, vt mentio fieret disertâ, & per honorificam formam, Monasterij Cluniacensis, ob egregias illius prærogatiuas.

12 Sermo dein habitus est <sup>m</sup> de finiendo Concilio in Sessione futura. Primus Legatorum dixit, eam valde prolixam laboriosamque fore; sed necesse esse, Synodum absolui propter causas, quibus grauiora iam vsque ab initio Ecclesiæ non acciderant. De illius conseruatione aut peruersione agi: aliquid imminere, quod si contingeret, postremâ lineâ nondum operi ductâ, in causa foret, vt cuncti præteriti labores ac Decreta in irritum reciderent, nec ea nationes reciperent. Adiecit, Non nisi tria superesse consilia, suspendere, dissoluere, concludere: duo priora videri æquè inhonesta ac periculosa, ne monstrum aliquod gigneretur, hoc est peculiare Nationum Concilium: in solo tertio partum nobilem simul & conducibilem posse obtineri. Deum precarentur pro salute Pontificis, qui tamquam filios ipsos amabat, nec quidquam ardentius quàm exitum Synodi cupiebat. Cùm illi maior Angelorum custodia quàm alij cuiuslibet assisteret, credendum esse, Pontificis mentem maiori perfundi luce ad cognoscendum, eiusque animum magis impelli ad optandum id quod optimum esset. In eandem voluntatem conuenire Principum Oratores; sed auctoritatem in ipsis Patribus sitam esse.

*m Acta Archiepiscopi*

*esse.*



1563. esse. Vbi illis placeret, illud Legatos esse comprobatos; sin minus, à Patribus, non à Legatis reddendam esse rationem de malis quæ sequerentur.

¶ Litteræ Legat. ad Borrom. 2. Decemb. & fusiis in Actis Salmanticens. & in litteris memoratis Ladrensis

Lunensis è sella confurgens, Legatos \* adiit, schedulam manu 13 præferens, cui comperio nomen placidum *petitionis* ab alijs fuisse datum, ab alijs acerbum *contestationis*. Præsides hominem dehortati sunt, ne huiusmodi scintillam inijceret eo tempore, quo tantus aderat fomes ad ignem corripendum, & Christianam Rempubli- cam labefactandam. Ille verò haud difficulter se retrahi permisit, vt qui non sponte ad id motus fuerat, sed vt gratificaretur quibusdam suorum Præsulum, qui illum quasi ad officium suo muneri debi- tum incitabant. Ceterùm cum ipse peculiaria iussa ad id peragen- dum non haberet, illud attentare non poterat sine metu, ne merito despiceretur à Synodo tamquam vanum, & à Rege tamquam teme- rarium improbaretur. E conuerso Oratores Cæsaris, Lusitanæ, Sa- baudia ac Florentiæ, sanxerant vt edicerent, nisi Concilium fini- retur, se contestaturos, & abituros. Quin Cæsariani ad Legatorum sedes accedentes, soli diu sermonem prius habuerunt, & postea Lu- nensi accito. Denique sicut optimates in litigijs cum cedunt, id per honorificam concordia speciem agere student, hoc illi concessum est, ne finis Concilij in eo conuentu decerneretur, sed in diem postferum Sessio indiceretur, solumque generatim sermo fieret, in ea de Synodi fine agendum esse, pro quo simul ac pro incolumitate Pontificis cuncti eâ nocte preces funderent.

Conclusionis decreto vnâ voce cuncti cum laude consenserunt, 14 quatuordecim exceptis, vndecim Hispanis, & tribus Italis. Pro- positum non fuerat à Legato, vt vnico die Sessio conficeretur, sed duobus continuis, cum plurima Decreta superessent firmanda, qui- bus vnâ cum reliquis functionibus dies vnicus satis non erat; præ- fertim quia vnum ex Decretis complurium dierum spatium postu- labat, illud nimirum, quo statutum fuerat vt in Sessione Decreta omnia, Paulo & Iulio sedentibus edita, legerentur. Rei siquidem absoluendæ celeritas locum non dedit antecedenti Lotharingi vo- to, vt in Conuentu post Sessionem recitarentur. Eademque festi- natio susceptum antea consilium abruptit petendæ, absolutis om- nibus Decretis, confirmationis disertæ à Pontifice, ibique præsto- landi reditu tabellarij, qui eam deferret antequam Synodus clau- deretur, ac Patres dimitterentur. Quare huiusce rei vice statutum fuit, vt decerneretur, eam confirmationem à Legatis postea Con- cilij nomine petendam esse.

Ita

Ita rerum ex improviso accidentium frequentia efficit, ut negotijs parum proffit prouidentia maturitatis, nisi illi celeritas, prudentiæ comes, adsit, quæ consilijs præconceptis nouerit, alia improuisa subrogare. Sed hæc ipsa promptior celeritas, mentis sæpè assidua, patientisque præmeditationis fructus est.

C A P V T V.

*Novi nuntij de meliori Pontificis statu. Decreta composita. Sessio vigesimaquinta. Quæ continentur in Decretis de Purgatorio, de Imaginibus, de Reliquijs, & de Inuocatione Sanctorum; & de primis quatuordecim articulis super Regulis.*

**M**Orbus Pontificis ex illis fuit, qui magis terrent quàm nocent: iam enim ex eo conualuerat. Sed metuens ipse, ne rumor desperatæ salutis suæ mali aliquid in Synodo gigneret, cui malo sufficientem medelam postea morbi cessatio afferre non posset, per celerrimum cursorem valetudinem confirmatam Legatis ad eò sollicitè nuntiauit<sup>a</sup>, ut eius notitia perueniret ac vulgata fuerit quintâ noctis horâ, quæ Sessionem indictam præcedebat. Non tamen complures defuere, sicut liquet ex Actis Salamanticensis, qui existimauerint, hunc morbum Pontificis simulatam quasi scenam fuisse, quòd metus turbarum alas adderet Synodo: quòd ad eò aduerfabatur rectæ rationi politicæ, & euentiæ, quæ communiter super hoc Romæ habebatur, ut ne Suavis quidem dubitationem præ se tulerit. Sed hinc palàm fit, & quàm modica fides habenda sit sinistris narrationibus de Principibus, quæ in commentarijs supersunt, & quàm intutum sit historiam conscribere, si res gesta in vnicò libro habeatur. Etenim ut altero hominis sensu, perinde altero scriptoris textu opus est, ad confirmandum aut corrigendum id quòd alter refert. Quin ex opposito tam sedulò curauit Pontifex ut euanesceeret diffusa morbi sui opinio, eo studio quo Principes vrnâ delecti uti solent in eo, tunc presentibus etiam conditionibus aucto, ut voluerit non modò alterâ statim epistolâ ea de re certiore facere præter Legatos ipsum Lotharingum<sup>b</sup>, per opportunitatem quâ eius epistolâ respondebat; sed illic quasi testem adducere appendicem non breuem suâ manu exarata, ubi sibi ipsi blandiens, affirmabat, tam benè se conualuisse ex præterito morbo, ut numquam se melius habuerit; simulque illum

<sup>a</sup> Litteræ Borrom. ad Legatos, & Gallijad Moronum 29. Nouembris 1563.

<sup>b</sup> Litteræ Pontificis ad Lotharingum 30. Nouembris, missæ 1. Decembris 1563.

Pars III.

L IIII

illum